376

Władysław Jagiełło nadaje Gorlicom prawo magdeburskie. Sącz, 2. VIII. 1417 r.

Dokument ten stanowił okładkę Rkps Nr. 2503.

In nomine domini Amen. Ad rei memoriam sempiternam. Quia tunc multis errorum et dubiorum prudenter occurrimus incomodis dum gesta etatis nostre litterarum apicibus et testium annotacione perhennentur. Proinde Nos Wladislaus dei gracia Rex Polonie Necnon Terrarum Cracovie Sandomirie Siradie Lancicie Cuyavie Lithwanieque Princeps Supremus Pomeranie Russieque dominus et heres etc. Significamus tenore presencium quibus expedit universis presentibus et futuris presencium noticiam habituris Quomodo ad instantes peticiones Strenui Derslai Karwaczyan de Gorlice Civitatem Gorlice et villas Gruscholl Ropicza Strozolbka Glinnyk Rychwald et Rychwaldk ipsius in Terra Cracovien. et districtu Biecen. sitas prout in suis metis et limitibus longe late et circumferencialiter ab antiquo sunt distincte et limitate de Iure polonico in Ius Thewtunicum quod Maydburgense dicitur Transferimus perpetuo duraturum Removentes ibidem omnia Iura Polonicalia modos et consuetudines universas que ipsum Ius Theutunicum plerumque consueverunt et sunt solita perturbare Eximimus insuper absolvimus et perpetuo liberamus Omnes et singulos kmethones Thabernatores et quosvis predicte Civitatis et dictarum villarum Incolas Ab omni Iurisdicione et potestate omnium et singulorum Regni nostri Palatinorum Castellanorum Capitaneorum Iudicum Subiudicum et quorumvis officialium et ministerialium eorundem ut coram ipsis aut ipsorum aliquo pro causis tam magnis quam parvis puta furti Incendii Sanguinis homicidii membrorum mutilacionis et quibusvis enormibus excessibus Citati minime respondebunt Nec aliquas penas solvere teneantur Sed tantum predicte Civitatis Gorlice Cives Thabernatores et predictarum villarum Gruscholl Ropicza Strozolbka Glinnyk Rychwald et aliud Rychwald kmethones et Incole coram Advocato et Sculteto suo qui fuerint pro tempore Advocatus vero et Schultetus coram prenominato derslao karwaczian sive Successoribus suis legittimis aut coram nobis vel Iudicio nostro generali dum tamen per manum literam nostro Sigillo sigillatam evocati fuerint et citati Et hoc si in reddenda Iusticia negligentes forent Et remissi tunc non aliter quam sub suo Thewtunico Maydburgen. predicto de se querulantibus respondere sint astricti In causis autem Criminalibus et Capitalibus superius expressis Advocato Civitatis predicte et dictarum villarum Schultetis in metis et limitibus Iudicandi Sentenciandi Corrigendi puniendi plectendi et condempnandi plenam damus et omnimodam tenore presencium concedimus facultatem prout hoc ipsum Ius Thewtunicum Maydburgen. predictum In omnibus suis Punctis Sentenciis Condicionibus Articulis et Clausulis postulat et requirit Iuribus tamen nostris Regalibus in omnibus semper salvis. Harum quibus Sigillum nostrum appensum est testimonio litterarum Actum in Sandecz feria secunda post festum Sancti Petri Ad vincula Anno domini Millesimo Quadringentesimo decimoseptimo Presentibus Reverendo in cristo patre domino Alberto Episcopo Cracovien. Regni Polonie Cancellario Magnificisque et Nobilibus Cristino de Ostrow Castellano et Capitaneo Cracovien. Iohanne de Tharnow palatino Cracovien. Hosticzio de Staschow Poznanien. Stanislao Gamrath polanyecen. Castellanis et ladislao de Lyudanez Hungaro Capitaneo Biecen. Et aliis quamplurimis fidedignis Datum per manus Reverendi patris domini Episcopi Cracovien. et Cancellarii predicti Et venerabilis domini Sedis Apostolice Prothonotarii Decani et prepositi Sancti floriani Cracovien. Gneznen. Cracovien. poznanien. et Cruswicien. ecclesiarum Canonici Regni polonie vicecancellarii Sincere nobis dilectorum

p p prima p

376

x Rep. 2509

D D XIV